

pedire æternam perniciem, quia potest esse, quod sit materia valida, & quidem sine suo damno, ut patet, ac etiam sine peccato; & necessitas, & appositio conditionis evitet nullitatem; & irreverentiam Sacramenti: ergo in tali casu non solum quis licite potest, sed etiam ex charitate sub peccato mortali, & Parochus insuper ex iustitia tenetur adhibere dubiam Baptismi materiam. Dicastillus tom. 1. in 3. part. tract. 2. disp. 1. numer. 34. Herincx disp. 5. de Baptismo, quæst. 2. numer. 16. & communis: Ita tamen, ut dum adhibetur materia dubia, id fiat sub conditione si valida sit, & ut deinde habita materia certiori, Baptismus sub conditione necessariò reiteretur. Ad materiam dubiam Baptismi revocatur illa, de cuius valore sunt dissentientes Doctorum opiniones, & nos supra §. 2. numer. 10. assignavimus. Generaliter autem in necessitate sufficit in alterius defectu, adhiberi materiam, quam non sit certum, non esse aquam; seu de qua dicere quis possit, fortè est aqua necessitate, & adjuncta, seu mente retenta conditione, abstergente periculum irreverentiæ. Quare Ministro Baptismi observandæ sunt sequentes Regulæ Morales, & practicæ ab omnibus, aut plerisque admittæ, traditæ à Patre Gobat cit. num. 35. & seqq.

Regulæ practicæ

Observandæ in Collatione Sacramenti Baptismi.

Regula I. Peccat mortaliter, qui cum possit habere aquam elementarem, adhibet aliam. Ita omnes. Quia scilicet abique urgente causa exponit salutem infantis supremo discrimini. Sicuti nullo casu licet in Sacramenti conscientis uti materia, vel forma certò ineptis.

Regula II. Qui verò nequit habere aquam elementarem, non modò licite adhibet (si sit periculum in mora) aliquam ex his, de quibus dubitant Doctores, sed etiam tenetur adhibere sub mortali, ut nominatim de Rosacea docet Lessius, Ratio hujus Regulæ jam data est num. præced.

Regula III. Idem dic de materia omninò dubia, sicut potest fieri in tenebris, ut quis nesciat, an capiat aquam, & acetum. Diana part. 5. tract. 3. resolut. 1. citans multos. Etenim in dubio adhibenda est ægro periclitanti potiùs Medicina dubia (saltem si non sit obfutura) quàm nulla. Sanchez l. 1. Morali c. 9. n. 39. Ex communi.

Regula IV. In utroque autem casu conferendus est Baptismus non absolute, sed conditionaliter, voce, vel mente sola dicendo, Si hæc materia est apta, & valida, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Regula V. Quando possibilitas adest, via tutissima eligenda est, si non adest possibilitas, via tutissima proxima tenenda est: cessante impossibilitate cautè est supplendum id, quod impossibilitas prohibebat. Ita sapienter, & breviter loquitur Scotus in 4. dist. 3. q. 2. ait Gobat cit. n. 39.

Regula VI. Qui moritur tinctus lavacro dubio, vel æqualiter probabili, sepeliendus est in loco sacro. Marchant. in simili resol. Pastor. de Sacrament. tr. 2. cap. 1. n. 2. Nam Jure sacræ glebæ non est quis privandus in dubio.

QUÆSTIO III.

De Materia proxima Baptismi.

SUMMARIUM.

- 15 Baptismi Materia proxima est ablutio Hominis facta per aquam.
16 Quales corporis humani partes debeant ablu per aquam?
17 An aqua immediatè, & physicè tangere debeat corpus baptizandi, & quæ aquæ quantitas requiratur ad valorem Baptismi?
18 Exemplificatur aliquibus casibus.
19 An submersio occisiva infantis sit materia valida Baptismi.

ASSERTIO III.

Baptismi Materia proxima est ablutio Hominis, facta per aquam, quæ quidem aqua aliquam ex præcipuis corporis partibus, immediatè, & physicè, tangere, seu abluere debet: non tamen baptizandum occidere. Ita Communis DD.

§. I. Baptismi Materia proxima est ablutio.

Ita D. Thomas quæst. 66. art. 1. & 4. Doctor subtilis in 4. dist. 3. quæst. 3. omnesque alii. Modò per eam, Corpus possit dici vere lotum, seu ablutum: si ve dein aliquæ for-

des per eam auferantur, si ve nullæ, nam sufficit, modò possint aliquæ etiam minimæ auferri per eam, si adest; nec enim Baptismus est institutus ad abluendas sordes corporis. Bonacina hic disput. 2. quæst. 2. punct. 3. numer. 14. Idque patet ex Math. ultimo, baptizantes eos, id est, abluentes eos, & ex forma Baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Unde Magister sententiarum citans verba illa S. Augustini: Accedit Verbum ad Elementum, et fit Sacramentum, subjungit: Non urique ipsum Elementum fit Sacramentum, sed ablutio facta in Elemento. Quare certum est, ad valorem Baptismi requiri abluentionem non tantum activam ex parte Ministri abluentis: sed etiam passivam ex parte suscipientis. Quænam verò ex his sit materia proxima Baptismi, & subjectum proximum significationis Sacramentalis? Resolvit Scotus 4. dist. 6. quæstion. 2. defendens abluentionem passivam esse materiam proximam Baptismi. Ratio est, quia si Baptismus consisteret in abluentione activa, sequeretur, quòd baptizans reciperet Sacramentum Baptismi, quia juxta physicam, actio recipitur in agente, tanquam in subjecto: sequela non admittitur: ergo. Accedit, quòd si quis simul plures baptizaret eadem asperusione aquæ, foret ibi unicus tantum Baptismus, quia esset unica tantum actio aspergentis, sed hoc non admittitur: ergo. Hinc sequitur I. Glaciem, & nivem non esse materiam Baptismi: quamdium enim non resolvuntur, nequit in iis fieri ablutio: hæc namque dicit motum materiam liquidam circa corpus abluendum. Imò juxta multos apud Herincx cit. quæst. 3. numer. 19. etiam necessariò pro valore Baptismi, debet resolutio glaciæ, si ve nivis fieri; dum adhuc subest manui baptizantis, vel applicationi, antequam recipiatur in corpore baptizati, sic ut ex manu baptizantis stillæ dimittantur in corpus baptizandi, quia aliàs non satis apparet, ipsum propriè abluere. Sequitur II. Ad valorem Baptismi esse indifferens, si ve ablutio fiat per asperusionem, si ve per effusionem aquæ in corpus, si ve per immersionem corporis in aquam. Ita Divus Thomas quæst. 66. art. 7. & omnes Scholastici teste Vasquez, apud Herincx cit. numer. 24. idem tradit Rituale Romanum, tit. de forma Baptismi. Ratio est, quia quovis ex his tribus modo potest homo sufficienter dici ablutus. Similiter ad valorem est indifferens, utrum adhibeatur trina, vel una tantum immersio, seu infusio: cum etiam unica sufficiat ad denotandum hominem ablutum. Patet hoc quoque ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ob diversas rationes occurrentes, modò unicam immersionem, modò trinam adhibuit, juxta Gregorium lib. 1. Ep. 41. & Refertur cap. de Trinit. dist. 4. de Consecr. & Toletanum IV. cap. 5. ut refertur c. propter. 85. de Consecr. dist. 4. In praxi servanda est consuetudo cujuscunque loci, ac obsequendum Ritualibus Diocesanis: num verò quis peccet mortaliter baptizans per effusionem, quando in ejus Diocesi præscribitur immersio, & vice versa? Respondet Divus Thomas quæst. 66. artic. 8. in corpore, peccare graviter, qui non immergit ter, cum cæteroquin deberet. Nugnus in eundem Articulum, putat delinquere mortaliter, qui utitur asperusione, cum deberet ex ritu Diocæsano uti immersione, vel effusione. Sotus, Gregorius de Valentia, Dicastillus, & plures alii apud Gobat cit. num. 63. generatim non agnoscunt noxam nisi venialem, sicuti nec ego, ait Gobat cit. quia non existimo, extra in Ritualibus Diocesanis verba, quibus exprimitur obligatio ad mortale. Itaque gravitas peccati delumenda est solum ex metu scandali.

§. II. Hominis.

Receptum est apud omnes, non debere abluentionem fieri in toto corpore, aut majori ejus parte, alioquin nullus Baptismus nunc perfectus esset, quia regulariter in solo capite confertur: Non enim est verisimile, inquit Scotus 4. dist. 4. quæst. 3. quod in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria millia ab Apollolis, Actorum 2. quòd quilibet quantum ad totum corpus suum lavaretur aqua, sed præcisè, quantum ad faciem aspergendo, Difficultas tamen est, quænam pars corporis abluere debeat, ut validus sit Baptismus? & quidem conveniunt Doctores, Baptismus hand dubiè fore validum si caput Hominis abluatur, quòd docet Doctor Angelicus qu. 56. art. 11. et Subtilis loc. cit. ubi dicit: Quòd si appareat extra uterum Matris, caput infantis, & in ea corporis parte baptizetur, si puer nasceretur, & ex utero Matris exiret: non oporteret ipsum rebaptizare, quia illa censetur pars hominis præcipua, utpotè in qua viget omnis sensus, et hoc ex Ecclesiæ præcepto faciendum esse constat ex c. Postquam vos de Conf. d. 4. et ex Cathedismo Romano, p. 2. 1. Validum quoque fore Baptismus existimant Sotus, Suar. Laym. et plures alii, apud. Mastr. Tb. Mor. d. 17. q. 2. a. 1. 1. Sca-

Scapulæ, pectus, aut alia hujusmodi pars notabilis abluatur. Cæterum, si alia pars minùs notabilis, v. g. manus, pes, &c. tantummodò ablueretur, licet Vasquez, Henriquez, Diana, Caspensis, & alii Recentiores asserant talem Baptismus esse validum; tamen talis Baptismus non esset tutus, & nulla est certitudo, quòd Baptismus datus in aliqua minima parte Corporis sit validus, & propterea sic baptizatus in casu necessitatis, iterum esset rebaptizandus. Ita Div. Thomas cum suis, Doctor Subtilis in 4. d. 4. q. 3. cum suis Suarez, Valentia, Coninch. Nugnus, Aversa, Bonacina, Sylvester, Armilla, Tabiena, Rosella, & alii Summisæ apud Mastrium in 2. disp. 2. qu. 2. art. 1. n. 45. Ratio est: Tum quia hoc Sacramentum, sicut est samè necessarium, ita cum maxima securitate est conferendum, ne periculo exponatur anima infantis, & propterea monemur, cap. de quibus, de Baptismo, & ejus effectu, & in Rituali Romano, in prædictis casibus, ubi non est certitudo, iterandum esse Baptismus sub conditione. Tum quia ab Innocentio XI. damnata est sequens in Ordine 1. propositio: Non est illicitum in Sacramenti conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Tam quia licet homo dicatur verè vulneratus etq; vulneretur in minima parte Corporis, non tamen homo secundum communem loquendi modum dicitur verè, & propriè Ablutus, per lotionem cujuscunque etiam minimæ partis Corporis. Idem multò magis dicendum, si Infans solum baptizaretur in capillis, vel involutus secundinis. Idem docet Gobat cit. n. 56. de Infante adhuc totaliter in utero Matris hærente, quòd si ejus Caput aspergatur aqua, & baptizetur, nihilominùs postea ex utero Matris, egressus rebaptizari debeat sub conditione, quandoquidem Maximi, & Plurimi Doctores, ut Sanctus Bonaventura, Aleris, Durandus, & alii, quos accumulat, sequiturque Comitulus Respon. Moral. lib. 1. q. 13. Negant, posse validè baptizari infantem, qui nulla sui parte extra uterum, eo quòd non possit renasci, qui necdum est natus, juxta illud S. Augustini in Epistola ad Dardanum: Nemo renascitur, nisi priùs nascatur. Ubi tamen à Parochis seriò sunt admonendæ obsterices, ut in necessitate baptizent infantem in quacunque tandem parte corporis minima, etiam in capillis, in secundinis, vel umbilico, etiam adhuc totaliter in utero Matris hærentem, quovis modo possibili: quia necessitas non habet legem, & periclitanti animæ infantis de salute æterna, succurrendum est omni possibili modo: ita expressè Chapeaville, de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 3. qu. 10. Bonacina, Dicastillus, Tannerus, Victoria, Gabriel, Valentia, Toletus, & alii apud Gobat cit. ita tamen, ut sublata necessitate, Baptismus sub conditione reiteretur juxta supradicta.

§. III. Facta per Aquam.

AD valorem Baptismi necessariò requiritur, ut Aqua immediatè, & physicè tangat corpus, & carnem baptizandi: Aliàs enim non esset vera corporis ablutio. Unde parvulus utero Matris conclusus, ut nulla ratione possit ab aqua tangi, non potest baptizari, nec prodeffer parvulo, si uterus Matris Aqua ablueretur. Similiter non valeret Baptismus, si Aqua tantum attingeret facias, vel vestes baptizandi, ita omnes Theologi teste Herincx cit. nu. 23. An autem valeret, si soli capilli maderent, vel solæ secundinæ, quibus infans involutus est, vel umbilicus, per quem infans sagit alimentum à Matre, dum est in utero, & illi jungitur, dubium est, differentiis Doctoribus pro, & contra. Hoc certum est, quòd propter dubium extra necessitatem non liceat sic baptizare, in necessitate verò, si non possit in alia parte infans ablu, debeat sic baptizari, taliterque baptizatus cessante necessitate debeat sub conditione rebaptizari, si autem ante moriatur, debeat ob Baptismus saltem dubium in loco sacro sepeliri. Vide Herincx citat. num. 23. Denique ad valorem Baptismi non sufficit quæcunque modica Aquæ quantitas, utpotè aliqua gutta. Ita contra Vasquez, Henriquez, Meratium, Caspensem, Aversam, & alios docent Bonacina, Granadus, Layman, Centinus, & alii. Ratio est, quia ad Baptismus requiritur contractus successivus, & tanta Aquæ quantitas, per quam homo potest dici verè, & propriè ablutus: sed juxta communem prudentum æstimationem, homo non diceretur propriè lotus, & ablutus propter contactum alienius guttulæ Aquæ in minima parte sui corporis: ergo. Quare Auctores nobis contrarii etiam ipsimet fatentur; paucas Aquæ Guttas non sufficere ad valorem Baptismi, si persistant, & non quant per corpus: Si verò per partes Corporis fluant, dicunt sufficere: si enim non fluerent, non abluerent. Quæ sententia cum sit probabilis, potest admitti, ita ut urgente necessitate in defectu amplioris Aquæ tali modo con-

feratur Baptismus. Ex his colliges, quid respondendum ad sequentes casus? Primus est.

Isabella infans domi baptizata tantum asperusione Aquæ à 8 ex digitis, sicut quilibet aspergit se Aqua Benedicta, an est verè baptizata, vel rebaptizanda sub conditione? Respondet Gobat citat. num. 46. videri baptizatam, nec rebaptizandam, si, ut sæpè fit, digitus fuerit probe immerfus in Aquam, ac proinde insperfa quinque, vel sex guttæ si verò tantum duæ, tresve, esse rebaptizandam. Quòd si non constet, utrum duæ, tresve, an verò plures fuerint excusæ à digitis, esse rebaptizandam sub conditione. Ego inhærendo doctrinæ mox supra traditæ, judico esse rebaptizandam: quia in Sacramenti, ubi agitur de valore actus, & maxime in Sacramento Baptismi, ubi agitur de salute æterna infantis, tenemur sequi sententiam tutiorem. Alter casus est.

Leocadia obsterix baptizavit infantem, imprimendo eadem in fronte signum Crucis digito Aqua madefacto: valetne Baptismus? Passerinus, Reginaldus, Angelus, & Escobar apud Gobat citatum nu. 48. dicunt: Si Leocadia solummodò impressit illum madidum digitum fronti, non trahendo in ullam partem, non valet Baptismus: quia adhuc requiritur, ut Aqua effluat ex digito: quæ non potest dici effluere, nisi illa res madida saltem trahatur motu successivo per corpus: cum enim ablutio sit ens successivum, consequenter etiam per motum successivum fieri debet.

§. IV. Sed quid de Baptismo submersivo?

QUIA juxta dicta supra §. 2. hujus quæstionis, ablutio baptismalis potest etiam fieri per immersionem corporis in Aquam, difficultas est, an ubi hic abluendi modus servari solet, sit de necessitate, & valore Sacramenti, ut post immersionem sequatur emersio, vel etiam valeat Baptismus, si projiciatur, & submergatur infans in puteum, vel flumen cum prolacione forinæ Baptismatis? Communis Opinio Recentiorum tenet, non esse de necessitate Sacramenti emersionem, sed valere Baptismus factum per projectionem, & immersionem putam sufficere, & esse verè, & propriè abluentionem Baptismo idoneam, quamvis, illicitam, iniquam, & mortiferam, dummodò proferatur integra forma ante mortem infantis. Quorum fundamentum est, quia, quamvis in tali casu sequatur submersio, & mors infantis, nihilominùs infans potest dici verè ablutus, & baptizatus: quia Baptismus non ordinatur ad vitam corporis, sed animæ. Ita Suarez, Vasquez, Coninch. Layman, Hurtadus, Valentia, Diana, Bonacina, Caspensis, Aversa, & alii passim, apud Mastrium citatum qu. 2. art. 1. num. 18. Oppositum tamen docuit Scotus, in 4. dist. 4. qu. 3. Cum communi Scottistarum, & Antiquiorum Richardi, Paludani, Marsilii, Sylvestri, Armillæ, & aliorum. Ratio Doctoris Subtilis est: Quia ablutio baptismalis ordinatur ad vitam, & non ad mortem per se loquendo. nec verisimile est, Christum pro materia proxima hujus Sacramenti ordinasse occisionem hominis; adeoque actionem intrinsecè malam, quæ nunquam sine peccato adhiberi potest, & ex natura sua est ordinata ad mortem corporalem: siquidem ad suave Christi Providentiam spectare videtur, ut ita Sacramenta instituerit, ut per virtutem, quam corporaliter per materiam sensibus ingerunt, significent insensibilem gratiam, quam animæ conferunt: unde sicut in Aqua hoc Sacramentum est institutum: quia quemadmodum corporaliter maculas abluunt, ita & spirituales: sic pariter, si materia hujus Sacramenti vitam spirituales præitare debet, hoc per fomentum corporale innuere debet, in casu autem posito tantum abest, ut ablutio vitam corporalem juvet, quin potiùs ex natura sua eam destruat. Deinde Christus pro Materia proxima Baptismi utique instituit abluentionem usualem, & consuetudinariam hominum, quæ nimirum sordes corporis, non autem vitam per se tollat, qualis non est submersio occisiva: Quis enim dicat, se hominem abluere, & lavare velle, quem ligatis manibus, & pedibus, & ingenti saxo ad collum alligato, in mare projiceret? Denique Christus præcepit suis Ministris, ut in necessitate adhibent materiam Baptismi à se institutam, quamcunque possunt, atqui Christus nullibi præcepit occisionem Innocentis: ergo submersio occisiva non est materia proxima Baptismi, nec valida, nec licita.



QUESTIO IV.

De Forma Baptismi.

SUMMARIUM.

- 21 Legitima forma Baptismi, in qua debet exprimi.
- 22 Persona, que baptizatur, et actio baptizantis.
- 23 Item Tres SS. Trinitatis Personae.
- 24 Sub Nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti.
- 25 Usque ad n. 28. Et Unitas Naturae Divinae.
- 28 Recensentur Formae Baptismi validae.
- 29 Assignantur Formae Baptismi invalidae.
- 30 Enumerantur Formae Baptismi dubiae.

ASSERTIO IV.

**L**egitima Forma Baptismi in Ecclesia Latina est haec: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: in qua necessitate Sacramenti debet exprimi Persona, que baptizatur, actio baptizantis, Tres in SS. Trinitate Personae, ut inter se distincta, sub nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sub Unitate Deitatis, non tamen Persona Ministri baptizantis. Ita communis cum D. Thom. Scoto, Maffrio, Herinex, etc.

§. I. Legitima Forma Baptismi.

**C**ertum est de fide, in Sacramento Baptismi necessarium esse certam verborum formam, et veram, ac legitimam esse illam, quae sumitur ex illis Christi verbis. *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ut constat ex Concilio Lateranensi c. firmiter, de summa Trinitate, Florentino in Decreto Eugenii, et Tridentino sess. 7. can. 4. de Baptismo. Verum tamen est, aliquam reperiri diversitatem in usu hujus formae inter Ecclesiam Latinam, & Graecam. Siquidem Latini baptizant dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Graeci vero baptizant dicendo: *baptizetur*, vel, ut Arcadius vult, *baptizatur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Estque de fide, utroque modo formam esse validam, & legitimam, ut patet ex Concilio Florentino citat. & ipso Ecclesiae usu. Nobis tamen Latinis non licet uti Forma Graecorum, quia foret contra consuetudinem Ecclesiae Latinae, nec fieret sine scandalo. Rationem autem hujus diversitatis deducit Scotus in 4. dist. 2. qu. 2. ex eo, quod refert S. Paulus Corinth. 1. Ortum fuisse dissidium inter Christianos: gloriabantur enim unusquisque de suo Ministro Baptismi: Unde dicebant: *Ego sum Pauli, ego sum Cephae*, & sic videbantur adscribere virtutem Baptismi Ministro; unde Apostolus eos reprehendit: *Nunquid divisus est Christus?* Ad tollendum itaque hoc Schisma inter eos, ordinatum fuit, ut Minister non exprimeretur in propria Persona, ne haberet occasionem gloriantis in Ministro. Quo scrupulo cessante in Ecclesia Latina, usurpatur in eadem, consuetudo Baptismi forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*: quia verba hujus formae magis conformantur institutioni Christi, & significant Baptismum à Ministro procedere tantum ministerialiter, non vero principaliter: Porro advertendum est ex Scoto cit. in consecratione Sacramentorum duobus modis, posse aliquid esse necessarium. Nimirum I. Ex parte Sacramenti, seu simpliciter, quo scilicet non existente omnino non est Sacramentum. II. Ex parte Ministri, seu aliquantulum, sine quo nimirum Minister consecrando Sacramentum, non potest vitare peccatum. Seu quod in idem recidit, aliqua sunt necessaria ad validè consecrandum, & recipiendum Sacramentum, & aliqua sunt necessaria ad licitè tantum consecrandum, & recipiendum Sacramentum, de quo videatur P. Patritius Sporer *De Sacramenti in genere*. Jam quaeritur, quidnam in forma Baptismi, necessarium necessitate Sacramenti, seu ut Baptismus sit validus, exprimi debeat? sit

§. II. In forma Baptismi necessitate Sacramenti debet persona, que baptizatur, et actio baptizantis exprimi.

**P**rimò itaque in forma Baptismi exprimi debet actio ipsius Ministri baptizantis, ut docent D. Thomas qu. 66. art. 6. & Scotus in 4. dist. 3. qu. 2. estque de fide, sive de in exprimat per verbum activum, ut fit à Latinis, sive per passivum, ut fit à Graecis. Ratio est; tum quia Concil. Flo-

rentinum cit. ait: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministerium, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum*. Tum quia Alexander III. c. 1. de Baptismo, sic inquit: *Si quis puerum in aqua immerferit, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et non dixerit: Ego te baptizo, non est puer baptizatus*. Consentit Alexander VIII. damnans sequentem propositionem in Ordine 27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris etc. praetermissis illis. *Ego te baptizo*. Tum quia Baptismus est Sacramentum in usu consistens: in Sacramentis autem in usu consistentibus exprimi debet actio ipsa Sacramentalis: formae enim sacramentales sunt orationes practicae, experimentes actu fieri, quod significant: ergo significare debent actionem à Ministro exerceri. Denique quia materia Baptismi, scilicet aqua, de se est indifferens ad refrigerationem, vel emundationem: ergo debet per formam determinari ad significandam emundationem: sed nisi ablutio exprimitur, non determinatur ad emundationem: ergo.

Deinde requiritur etiam necessitate Sacramenti, ut in forma Baptismi exprimat Persona, quae baptizatur, ut similiter patet in utraque forma Latinorum, & Graecorum per illud verbum *Te* in forma Latinorum, & per illa verba *talis servus*, in forma Graecorum, ut hoc modo expliciter distinctio inter baptizantem, & baptizatum: quia nemo se ipsum potest baptizare, sicut nullus potest seipsum generare, siquidem Baptismus sit spiritualis generatio hominis. Hinc infert Scotus, & Theologi omnes, necessarium esse exprimere hanc Personam, quae baptizatur, aut proprio nomine, ut cum dicitur: *Ego te N. baptizo*, aut per pronomen secundae, vel tertiae Personae, ut *baptizo te*, vel *illum*, non verò per pronomen primae Personae, ut *baptizo me*, id, quod cap. debitum de Baptismo definitur, colligitur ex saepe citatis Christi verbis: *Baptizantes eos*. Non ita tamen opus est exprimi Personam baptizantem directè: Baptismus enim, forma Graecorum consuetudo ministratus est validus, ut constat ex Concilio Florentino citato, & tamen in ea Persona Ministri baptizantis directè non exprimitur. Ita Scotus citatus cum communi. Nam imprimis constat, non esse necessarium exprimere Personam Ministri per illud pronomen *Ego*: cum hoc satis includatur in verbo *baptizo*. Deinde etiam Persona Ministri nec in ipso verbo directè exprimitur, adhuc perficitur Sacramentum Baptismi, ut patet ex forma Graecorum. Hoc quidem verum est non valere Baptismum, si quis diceret *baptizat te Christus* & non *ego*: quia illo modo dicens: *Baptizat te Christus*, debet implicite, & indirectè subintelligi, *baptizat te Christus per meas manus*, idè quod non debet hoc excludi per aliam contrariam negationem: Si verò talis exclusio non fiat: etiam Persona Ministri directè non exprimitur, sed tantum Persona Christi, adhuc est forma sufficiens: quia Christus intelligitur per suum Ministrum baptizare, & in hoc sensu Eugenius IV. in Concilio Florentino explicavit sensum formae Graecae: *baptizetur talis servus Christi*; hoc est: *manibus meis*.

§. III. Ad valorem Baptismi ulterius requiritur expressio SS. Trinitatis, sub Unitate Deitatis.

**I**ta D. Thomas, & Scotus, II. c. & est communissima Theologorum sententia. Nimirum in forma baptismali, ut valida sit, requiritur, ut in ea expresse, & distinctè nominentur tres Personae SS. Trinitatis, quotendū inter se distinctae sunt, & Nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti exprimentur, ita tamen, ut significantur esse unus Deus. Ratio multiplex petitur, tum ex verbis Christi Domini, *Matth. ult. dicens: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Tum ex continēte Ecclesiae praxi, declaratione, & definitione. Nam in Can. 59. Apostolorum reprobatum Baptismus datus in Domini morte, quia Christus non dixit: *In morte mea baptizare, sed baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Unde Pelagius Papa cap. si revera, de consecr. dist. 4. dicit, Baptismus datum in nomine Domini esse nullum. Idem dicit de Baptismo dato solummodo in nomine Christi, cap. multi sunt 82. eadem dist. Et Zacharias Papa c. in Synodo, eadem dist. expressis verbis docet, Baptismum non perfici, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ita, ut, qui vel unam de Trinitate Personam in Baptismo non nominaret verum Baptisma conficere non posset. Idem habetur cap. firmiter, de summa Trinitate in cap. 1. de Baptismo, & in Concilio Florentino in Decreto Eugenii. Tum ex innumeris Sanctorum Patrum testimoniis, quae hic afferre nimis longum foret. Tum ex hac congruentia, quam ex D. Th. affert Suar. nimirum: quia in Lege Evangelica; fides expli-

explicita SS. Trinitatis est necessaria ad salutem: Baptismus autem est Sacramentum fidei, ut loquitur Innocentius III. cap. dubium, de Baptismo; estque Janua Ecclesiae, & in eo fit professio Evangelicae fidei: ergo etiam oportuit, ut in collatione Baptismi fieret expressa invocatio SS. Trinitatis, quae est primum objectum, & fundamentum totius fidei.

**II.** Quòd Tres Divinae Personae, in forma baptismali, nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti, debeant necessitate Sacramenti exprimi, docent Doctores, Seraphicus S. Bonaventura 4. dist. 3. qu. 3. art. 2. Angelicus D. Thomas qu. 66. art. 5. Subtilis Scotus 4. d. 3. qu. 2. Irregularis Alexander Aletius, qu. 8. memb. 3. art. 3. & communis Scottitarum, & Summistarum: Imò Gabriel art. 2. Concl. 4. dicit, Theologos omnes, Jurisperitos, & Summistas in hanc sententiam convenire. Ratio Scoti est, quia aliàs non servaretur forma à Christo instituta. Siquidem Christus Dominus dedit Ecclesiae nomina, Personas Divinas significantia sub propriis rationibus, in collatione Baptismi adhibenda, & talia sunt haec nomina, *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*. Hinc expressio SS. Trinitatis in forma Baptismi sub nominibus Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, nec est licita, nec valida, quia haec nomina non significant Divinas Personas sub propriis rationibus, sed tantum earum Notionem, & Originationem. Confirmatur ulterius ex Epiphania, haer. 73. dicente voces *Geniti, et Ingentis*, non valere ad Baptismum, & subdit rationem: *Quia Ingentium nondum significat Patris intelligentiam, neque genitum proprie significat filium: quia ad omnia genita communem facit intelligentiam: Non enim omne, quod honoratur, est Filius, quomodo omnis filius sit genitus*. Ita ille, & optime: quia *Genitor*, non significat idem quod *Pater*, nec *Genitus* quod *Filius*, nec *Procedens* idem quod *Spiritus sanctus*: siquidem etiam Leo potest esse Genitor, Genitus, & Procedens, & tamen nequit esse Pater, Filius, aut Spiritus sanctus. Unde etiam sufficientes opinionem nostrae sententiae opposuit: quia nostra est communissima, dicit, nulli licere à nostra forma discedere, & addunt, quòd si contingat, aliquem fuisse baptizatum sub ea forma *Genitori, Geniti, et Procedentis ab utroque* iterum baptizandum esse sub conditione, ita Caspensis disp. 1. de Baptismo, sess. 3. in fine, & alii, qui dicunt, eam sententiam esse tantum speculative probabilem, non tamen in praxi ponendam.

**III.** Denique, quòd ad formam baptismalis Essentiam, & valorem spectet etiam expressio Unitatis Naturae Divinae, ut dicendum sit: In nomine Patris etc. non autem: in Nominibus Patris, etc. Est certum apud omnes, & colligitur ex verbis Christi, *Matth. ult. baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* illa sic intelligentis. Unde S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 22. In nomine (inquit) non in nominibus: *Hi enim tres unum sunt, et hi unus est Deus*. S. Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. non baptizatur (inquit) in Nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti in Uno nomine, quòd intelligitur Deus. Accedit Ratio: Non enim minus spectat ad primum fidei Articulum, & necessitatem salutis Peritorum Unitas, illiusque Professio, quam Trinitas. Dicendo autem in Nominibus, vel intelligantur tantum Proprietates Personarum, & sic omnino tangeretur Unitas: Vel intelligerentur perfectiones absolutae, & sic induceretur falsitas, nempe pluralitas naturarum. Porro ly in nomine, ferè idem valet, quòd in Virtute, & Autoritate, Divinitate, Invocatione Patris, et Filii, etc. idè, ut non sine invaliditatis periculo aliud vocabulum possit substitui, quòd idem adaequatè significet: est probabiliter variè speculative existimare valere Baptismum datum in Virtute Patris, et Filii, etc. Quòd idem existimat Vasquez, si conferatur hoc modo. *Ego te baptizo in Unum Deum Patrem, et Filium* etc. similiter dubius erit Baptismus, si ly in nomine repetatur dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filii* etc. Quamvis enim ibi non significetur expresse naturae pluralitas, nec dum dicitur: *Deus Pater, Deus Filius* etc. ideoque illum valere existimet Suarez, & alii: Equidem ex vi sermonis non videtur satis quoque exprimi Deitatis Unitas. Quòd tamen constat esse necessarium: ideoque illum valere negat Bonacina, & alii. Unde propter dubium similes formae minime sunt usurpandae, & si usurpatae fuerint, baptismus sub conditione erit repetendus. Peculiariter autem hac in re instruendae sunt obheretices, à quibus interdum ly in nomine ter repetitur, existimantibus eo exactius se praestitisse officium baptizantis. *Hereticus*, qu. 4. num. 43. seq.

**IV.** Contra praedicta omnia obitare videtur, quòd ab initio nascens Ecclesiae administratus fuerit baptismus ab Apostolis in nomine Jesu Christi, ut habetur pluribus in Locis

actuum Apostolorum: ergo non est in forma baptismali necessaria expressio trium Personarum SS. Trinitatis. Respondit Doctor Subtilis apud Maffrium in 4. disp. 2. nu. 54. id fuisse permittum à Christo Domino ex speciali dispensatione: ut magis eo tempore Christi nomen innotesceret: nobis tamen permittum non esse: eo quòd cessaverit causa baptizandi hoc modo. Hac etiam fuit responsio Aletii 4. part. qu. 8. memb. 3. art. 3. Richardi dist. 3. qu. 2. art. 3. Divi Thomae qu. 66. art. 6. Divi Bonaventurae dist. 3. qu. 2. & Aliorum Antiquorum: ac proinde communis est in Schola Doctorum Angelici, & Doctoris Subtilis. Ceterum Bellarminus, Suarez, Vasquez, Coninch, Aversa, & alii recentiores putant, numquam administratum fuisse baptismum in nomine Christi, quòd pluribus auctoritatibus probari conantur. Et quando in actis Apostolorum legitur, baptismum in primitiva Ecclesia administratum fuisse in nomine Christi, sic explicant, quòd Apostoli dederint baptismum Christi, hoc est, institutum à Christo, & cujus Auctor fuit Christus, ad differentiam baptismi Joannis, & quòd baptizaverint in merito, & in fide, & in virtute Christi. Alii dicunt, Apostolos baptizasse cum expressa invocatione SS. Trinitatis, facta speciali mentione Jesu Christi, in secunda Persona hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Jesu Christi Filii eius, et Spiritus sancti*. Ex praedictis colligere poteris: Quanam sint

§. IV. Formae baptismi validae, invalidae, & dubiae.

**I.** Suppono ex Theol. Sacramenti. P. Patritii Sporer, 27 parte 1. cap. 2. sect. 2. n. 85. & seqq. mutationem substantialem materiae, vel formae annullare Sacramentum: accidentalem verò non annullare Sacramentum, etiam si plerumque illicita sit, etiam mortaliter. Mutatio autem substantialis materiae est, quando in Sacramento adhibetur alia materia, quam Christus instituit, & usurpat. Mutatio accidentalis dicitur, quando res, vel saltem usu hominum qua res, quae nomine, & ratione, vel saltem usu hominum differat ab illa re, quam Christus instituit, & usurpat. Mutatio accidentalis dicitur, quando res, est variata, vel alterata, retinet tamen nomen, & rationem illius, quam Christus usurpari mandavit, similiter substantialis mutatio formae censetur, quando non retinetur idem substantialis sensus verborum, quem Christus voluit exprimi per verba formae: Accidentalis autem mutatio dicitur, quando verba est variata, retinet tamen eundem sensum à Christo intentum. Nunc igitur ex praecedentibus discernendum, ubi fiat forma baptismalis mutatio substantialis, vel accidentalis, & consequenter quando forma baptismi sit valida, vel invalida, vel saltem dubia.

**II.** Valida, licita, consuetudo, & semper usurpanda forma baptismi, in Ecclesia Latina I. est haec: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen*. In qua forma, latine prolata, Verba essentialia imprimis sunt: *Te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Juxta Herinex, La Croix, & communem Doctorum. De praeterea Herinex, La Croix, & plures alii affirmant: Quare Toletus apud Gobat 1. 2. de Baptismo num. 70. ait peccare graviter, & mortaliter, qui omittet in De conjunctione *Et*, negant esse verbum essentialia Toletus, Comitatus, Gobat 1. 2. n. 71. quia saepissime omittitur conjunctio *Et*, permanente sensu. Affirmant Conradus, Vivaldus, Reginaldus, Major, Gabriel, Syvester, & alii, quia aliàs non exprimeretur distinctio Personarum. Quidquid sit, in praxi debet forma consuetudo plene pronuntiar, nec potest sine peccato gravi omitti conjunctio *Et* ob periculum nullitatis baptismi, sicut nec ordo trium Personarum inverti: Pronomen *Ego*, cum satis contineatur in verbo *baptizo*, omittit in forma baptismali latine prolata, per se loquendo, est tantum veniale juxta Doctores communiter, Ly Amen citra veniale omittitur, cum in Rituali Romano non addatur, sicut additur verbis absolutionis. Ita Herinex disp. 5. de baptismo qu. 4. n. 52. II. Si quis ex ignorantia Latinitatis, & simplicitate (secus est juxta D. Thomam, et Coninch, apud Gobat cit. nu. 87. Si ex scientia, vel malitia, baptizaret, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, valet baptismus juxta Zachariam Papam cap. reviderunt, de baptismo Idem est juxta Gobat cit. n. 89. si quis parum gnarus linguae Germanicae sic baptizet, *Ich tauffe dir in Namen der Bacter, und die Gohn, und das heilig Geist*. III. Valida est forma. *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* si fiat ex barbarie. Gobat num. 95. IV. Valet forma. *Ego Paulus te baptizo in nomine Patris Omnipotentis etc.* Item si proferatur lingua vernacula, quamvis in baptismo solemni ita